



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

155 Quidsi moriatur is qui permutationem impleuit priusquam sibi vicissim  
impleretur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Respondet ex aliis non malè Rebuffus d. tit. de permutat. nu. 39. cum neque vacet hic pastoratus proprius, neque tempus vllum certum sit à iure præfixum permutationibus implendis, nullas adhuc superioris collatoris esse partes, in conferendo scilicet: verùm si res extrahatur nimium, superioris est curare vt res vel expediatur vel in nihilum redigatur. quæ quidem quæstio de perficiendis beneficiorum permutationibus, etiam post vtriusq; permutantis resignationem Episcopo collationem differente, generalis est; à Federico Senensi luculenter explicata d. suo tractatu quæst. 29. Lepidæ porro quæstionis est, quid si permutantium alter qui permutationem non impleuit & cuius beneficium alteri compermutantium iam collatum est, inter has alterius moras moriatur (post viginti tamen dies à permutatione lapsos ob Regulam Cancellariæ 18.) quònam deueniat beneficium hoc alterius nondum resignatum vel quid eo fieri debeat? Sanè si de beneficiis huiusmodi quærat in incompatilibus, dubium non est quin prius beneficium superstitis ipso iure nunc vacet per alterius adeptionem pacificam iuxta d. capit. de multa. §. de Præbend. At si de simplici quærat defuncti compermutantis beneficio iam superstiti compermutanti collato, vel etiam de alterutro non simplici (sufficit enim simplex esse dumtaxat alterutrum) superstes vtrumque retinere summo iure poterit; nisi quatenus religione plura-

154

*Collator superior an hic propter moras possit aliquid.*

155

*Quid si moriatur is qui permutationem impleuit priusquam sibi vicissim impleatur?*



pluralitatis (vt ita cum nostris loquar) prohibetur: quamobrem talis permutator superstes bona dicitur gaudere fortuna Rebuffo. d. tit. de permutat. nu. 28. quod secus est in aliarum rerum permutationibus, quarum nempe ius transire potest in heredes. Excepi regulā Cancellariæ 18. de resignantibus infirmis, intra viginti dies à tali resignatione moriētibus. nam talis resignatio, siue simpliciter siue propter causam permutationis facta fuerit, viribus omninò caret; ideoque beneficium defuncti non ex ista resignatione sed per mortem vacare dicetur, atque cuilibet alteri liberè conferri poterit. Sed illud in ea Regula dignissimum est obseruatu, de resignationibus dumtaxat illis eam sumi quæ fiunt in manibus Romani Pontificis vel Pontificij Legati partim ne successionis cuiusdam quasi hereditariæ ius appareat in beneficiis ecclesiasticis partim ne Collatores ordinarij semper excludantur à beneficiis iure suo conferendis. Quid ergo si resignationem alicuius infirmi ex causa permutationis acceptauerit ipsemet ordinarius idēque Collator, eodem illo resignante deinceps intra dies viginti moriente? Regula Cancellariæ nihil ad huiusmodi casum pertinebit; cum volenti nulla fiat iniuria, nec Episcopus absque iustis causis permutationem probasse censeatur: poterat enim permutationem nō approbasse resignationemque non admisisse. Cuius interpretationis illustria quædam rerum iudicatarum extant exempla, decisionibus videlicet aliquor  
suprema

156  
Regula Cancellariæ de resignantibus infirmis breuiter explicata.

157  
In ordinario Collatore cessare Regulā si admiserit resignationē vel in eam conferit.